



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE ECCLESIA|| TRIVMPHANTE,|| TRIBVS LIBRIS|| EXPLICATA.||

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Ingolstadii, [1599]

VD16 B 1607

XXV. Quo genere cultus adorentur imagines.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53909](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53909)

CAPVT XXV.

Quo genere cultus adorentur imagines.

QVINTA Conclusio. Cultus qui per se, & proprie debetur imaginibus, est cultus quidam imperfectus, qui analogicè & reductiue pertinet ad speciem eius cultus, qui debetur exemplari. Explico; Imaginibus non conuenit proprie nec latria, nec hyperdulia, nec ullus alius eorū, qui tribuntur naturę intelligenti. Non enim est capax res inanima, & rationis expertis eiusmodi cultuum: sed cultus quidam inferior & varius pro variis imaginum. Itaque imaginibus Sanctorum non debetur proprie dulia, sed cultus inferior, qui dici potest dulia secundum quid, vel dulia analogicè, siue reductiue. Similiter imaginibus B. Virginis non debetur hyperdulia simpliciter, sed hyperdulia secundum quid, siue analogicè & reductiue.

Denique imaginibus Christi non debetur latria vera, & simpliciter, sed cultus sine comparatione inferior, qui tamen reducitur ad latriam, vt imperfectum ad perfectum. Probatur, sicut se habet imago ad suum exemplar, ita se habet cultus imaginis ad cultū exemplaris; sed imago est ipsum exemplar analogicè, & secundum quid; nam homo pictus est homo secundum quid, & analogicè, ergo etiam imagini debetur cultus ipsi exemplari debitus, imperfectus, & analogicus.

Præterea, imago reducitur ad speciem exemplaris; nam homo pictus, & equus pictus differunt specie, quia homo verus & equus verus differunt specie; ergo etiam cultus imaginis reducitur ad cultum exemplaris. & fortè B. Thomas & B. Bonauentura, & alij hoc solū dicere voluerunt, cum dixerunt, eodem cultu coli imaginem & exemplar. ita enim eorum sententiam interpretatur Gabriel. quod si ita est, omnes conuenimus.

Ex his habemus etiam, quid sit dicendum de vera cruce Domini, de clauis, spinis, aliisque reliquiis. Sunt enim hæc omnia honoranda minore cultu, quàm Christus, vel Sancti, quorum reliquiæ sunt, sed tamen tali, qui analogicè & reductiue pertineat ad speciem cultus, quo Christus vel Sancti coluntur.

coluntur; nam reliquiæ idè merentur honorem, quia ratione contactus, vel aliquo alio modo habitudinem habent ad eos, quorum sunt reliquiæ.

CAPVT XXVI.

De adoratione Crucis.

ETSI CRUX Domini partim inter reliquias veneretur, partim inter imagines (nam crux illa vera, in qua Dominus pependit, propter contactum sacri corporis & sanguinis, inter preciosissimas reliquias habenda est, nec solum ipsa integra, sed etiam particulæ eius; at crux illa eadem, quatenus figuram crucifixi Domini repræsentat, & similiter ceteræ cruces illi similes, inter sacras imagines numerantur) tamen quia peculiaris errores, & peculiaris argumenta de cruce inveniuntur, peculiarem etiam de illa disputationem instituendam putauimus.

Fuit igitur hæresis in primis Claudij Taurinensis, qui præter ceteras imagines crucem Domini execrabatur, teste Iona lib. 1. vixit autem Claudius anno Domini DCCC. Idem eodem tempore in Oriente dicebant Pauliciani, à quodam Paulo sic appellati, teste Euthymio in panoplia, parte 2. tit. 21.

Deinde circa annum Domini M. C. XXX. exstiterunt Petrus Bruis, & Henricus, qui similiter crucem Domini, eiusq; cultum oppugnabant, teste Petro Cluniacensi, qui contra eos epistolam prolixam & eruditam illo ipso tempore scripsit ad omnes Episcopos. Circa idem tempus, vel paulò post exstiterunt in Oriente Bogomiles, qui idem iisdem argumentis docebant, teste Euthymio panopl. part. 2. tit. 23.

Non minus postea crucis honorem detestati sunt Wiclistæ, apud Thomam Waldensem, tomo 3. tit. 20. Calvinus lib. 1. Institut. cap. 11. §. 7. Magdeburgenses Centuria 4. cap. 4. col. 302. cap. 6. colum. 458. & 459. vbi etiam impudenter mentiuntur, vsum signi crucis seculo IV. nouum fuisse. Nam Tertullianus libro de corona militis, meminit signi crucis, cum tamen floruerit seculo II. Sicut etiam Cent. 7. cap. 6. col. 191. mentiuntur, Sergium Papam fuisse auctorem primum, vt
cru